



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 13. Auaritiam nec mortius parcere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

nuntur, & vel ex pharmacopolio, vel ex unguentaria petenda sunt, animam potius exhalent, quàm crumenam soluant. Quid mirum? cùm mente & cogitationibus terreni sint, terrestrium possessionem rerum vitam & spiritum ducunt.

§. XIII.

Auaritiam nec mortuis parcere.

Quid jam mirum, si in alios sæuit, qui amore diuitiarum se ipsum occidit? Priami filius Polydorus, initio belli Troiani, ad Polymnestorem Thraciæ regem, cum magna vi auri à patre missus, vt si contingeret Troiam capi, ipse genus & urbem posset instaurare; auri cupiditate, à rege barbaro interfectus est. Quod Poëta his versibus deplorat,

Virgil.
lib. 3.
Æneid.

Hunc Polydorum auri quondã cum pondere magno

Infelix Priamus, furtim mandarat alendum

Treicio regi: cùm iam diffideret armis

Dardania: cingiq; urbem obsidione videret.

Ille, vt opes fracta Teucrum, & fortuna recessit,

Res Agamemnonias, victriciaq; arma secutus,

Est

Fas omne abrumpit : Polydorum obtruncat, & auro

Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis

Auri sacra fames?

Neque in fabulis duntaxat hoc facinus defletur, sed etiam in sacris historijs, quæ docent avaritiam etiam mortuis esse infestam, quos *de requie sepultura*, vt Tertullianus loquitur, *de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos*, affectu planè illiberali & muliebri, immò canino, auellit, dissecat, distrahit. Ad quam avaritiæ in defunctos feritatem auertendam, tradit Onuphrius, veteres consueuisse pretiosam vestem, qua plerumq; cadauer inuoluebant, varijs locis concerpere ac forare, quòd alioqui rapacitati pateret, & abijciendi corporis occasionem ingereret. Indicant eum morem etiam verba Origenis, ad illud Iob: *Conscidit vestimenta sua*. Sic enim ille Iobum aduersarios affantem inducit. *Si me mortuum aestimatis, ô inimici, anticipem in pretiosam meam sepulturam conscindere pretiosas atq; regales meas vestes, vt nec post mortem gaudeatis eos possidentes*. Et addit: *Puto, quòd ex illo consueuerunt homines, cum pretiosam sepulturam cuiuslibet miserint, conscindunt eam:*

Tertull. |
in Apo-
log. | c. 37.

Onuphr.
lib. de ri-
tu sepeli-
endi mor-
tuos.

Orig. in
c. 1. Iob.

eam: ne aliqui scelesti & ipsum corpus proijciant, & ipsam pretiosam sepulturã possideant. Contra quod flagitium, more suo, luculentè disputat D. Chrysofomus, & Isidorus Pelusiota, qui videri possunt. Ex his satis apparet, neq; mortuos à piceatis his manibus essetutos atque incontaminatos. Quanto minùs securi erunt viuentes, quorù minor esse solet reuerentia? Est enim aliquid, quod natura in mortuis reueretur, & refugit lædere.

S. Chryf.
hom. 35.
in 1. ad
Corinth.
Isidor.
Pelus, lib.
2. epist.
146.

§. XIV.

Auaritiam esse Caussam parricidiorum.

Hanc ob caussam testatur Suidas, Aristippum Socraticũ, nescio quò nauigaturum, seruulo de pecuniarum, quas ferebat, onere conquerenti dixisse, vt eas abijceret. Postea easdem ipse in mare abiecit, cùm propter illas sibi à sceleratis nautis periculum instare videret. *Harum interitus, mea salus erit,* inquebat. Quam Philosophiam multi nolunt imitari. Malunt enim ipsi perire, quàm suas opes. Et pereunt plurimi, dum aurum secum; tamquam hostem suum, ferunt, alluciuntque prædã prædones, dum interea cantat coram latrone vacuus viator. *Age, inquit aureum illud os, tibi ostendam, quo pacto cupidi-*

S. Chryf.
hom. 23.
in 1. ad
Cor.